



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. V. A quid teneantur, qui alienum Parochianum sepeliunt, vel qui cadaver illius qui alibi sepulturam elegit, in sua Ecclesia sepeliunt?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

turam, Simonia juris humani positivi est, cum pluribus juribus hoc prohibeatur, ad cavendam scilicet omnem Simonie speciem: excusat tamen sepius, si quæ pro his accipiantur, recepta consuetudo, ad quam observandam Laici v. g. obligantur, juxta cap. ad Apostolicam 42. De Simonia.

§. V.

Ad quid teneantur, qui alienum Parochianum sepeliunt; vel qui cadaver illius, qui alibi sepulturam elegit, in sua Ecclesia sepeliunt?

Teneantur hi tales, ad cadaver tale restituendum, & omnia ea, quæ ratione illius acceperunt, vel ut faciant amicabilem compositionem cum illis Ecclesiis, quarum jura læserunt taliter sepeliendo cap. Ex parte 5. & cap. Cùm liberum 6. h. 1. Si tamen Ecclesia, quæ ad restituenda hæc talia agit, jus suum sive titulum (saltem apparenter justum) ad sepeliendum talem probaverit, quam obligationem probandi habet talis repetens Ecclesia, ob multa incommoda cavenda, quæ aliàs timeri possent.

§. VI.

A quo, cum, & ex quibus rebus, sit solvenda canonica portio Parochialis funeralium, & quando solvi non debeat?

SI quis extra Parochiam suam sepelitur, sive deinde in sepulchro majorum suorum sepeliatur, sive quoddam alibi sepulturam sibi elegerit, de omnibus, quæ vel ex ultima mortui voluntate, vel

ex occasione delati funeris, Ecclesie, qua sepelitur, obveniunt, portio Canonica Parochialis solvi debet Ecclesie Parochiali, in qua defunctus sepelitus debuisset, quamvis extra talem Parochiam ille mortuus fuerit c. a. h. 1. & Ecclesie illæ, ubi sepeliri voluit v. g. in exemptæ, aut ex privilegio jus habeat liberè sepeliendi eos, qui sepeluntur apud ipsos elegerunt e. In nostra 10. h. 1. ob reverentiam scilicet, & recognitionem erga Ecclesiam, in qua Sacramentum percipit; & divina audivit talis defunctus, & ob curam, quam de eo Parochialis Ecclesia habuit. Est autem hæc portio Canonica Parochialis (sive dicta, quia Ecclesie Parochiali debetur) tertia vel quarta pars dictarum obventionum, ita ut ex talibus relictis Ecclesie illi, in qua defunctus sepultus fuit, donec quarta nonnunquam detrahantur, Episcopalis una, de qua in sup. tit. dictum est, & Parochialis altera. Hac tamen in attendenda est loci consuetudo, juxta c. Certificari 9. h. 1. quæ in multis locis, vel omninò hanc portionem Parochialem abrogavit, aut legitimè eam præscripsit, vel usum jam talem, ut de illis tantum hæc quarta solvatur, quæ cum defuncti corpore defunctus, vel de oblationibus factis ipso sepelitur die, quamvis ab harum etiam solvenda multi casus excusent, & recepta loci consuetudo.